

fectum; nec diu retinet, sed deponit mox, in abdito repositus. Consumit etiam seipsum Magnes ille, atque in patella fit friabilis. Ex istis sanè omnibus, quos habui, duravit ultra mensem nullus in aperto. Inclusus vitro, præstat longiùs, ad menses (non auserim dicere ad annos,) aliquot officium. Sed cogitur attractrix vis debilitata tandem evanescere. Nec enim supra vires agere vel nitrum, vel quicquam potest simile. Humorem imbibit ex aère illius fixus & præcipitatus spiritus; lumen ex eodem attrahit, si infusus calcinatae cretæ vehementiori igne urgeatur. Corpus fragile friabileque creta quoque est, dimittens brevi id, quod inclusum ei erat antè. Omne acidum, imprimis copiosum, externo quodam adhuc irritatum, facilè consumitur. Ipsumque illud, quod splendorem efficit, non spiritus, nec corpus est, sed accidens, & nuda qualitas intentionalis. Lumen enim ex materia & atomis corp. constare, cave dixeris. Unde igitur duratio, aut perpetuitas effectûs, quæ non deprehenditur in causis? Faciamus tamen, omnia hæc stare simul posse; cui cedant usui? nunc quæram. An, ut lapis inde Philosophicus, aut Alkahest *Helmontii* (si is modò unquam hoc effecit, aut possedit, nunquam profectò demonstravit,) forsitan elaboretur? Interponam fidem meam publicè, in nitro neque inveniri hæc arcana, nec sperari ab eodem posse. Talia dum sine felle, sine sale aliquo mordaci scribo, per amicitiae candorem rogitò, ut benignè pariter excipiantur. *Diversum scilicet sentire duos de rebus iisdem semper licuit; quidni nobis etiam pro veritate?*

§. VII. Naturam Lucis admiratus, ac admiraturus semper sum. Feliciternè indagaverim, determinare meum non est. Hoc fateor, non privatorum saltem Bibliothecas luculentiores, sed Potentissimorum etiam Principum quorundam sedulò perquisivisse me; *Guelpherbytanam* semel, ante XV. hos annos, CONRINGIO & SCHRADERO, summis Viris & de publico literario per ipsum penè seculi dimidium huc usque excellenter meritis, liberiori mihi aditum in Aula *Augustissimi*, nunc divi Ducis, per dies aliquot conciliantibus; *Electoralement Brandenburgicam* jam quartâ vice. Scrutabar seriò Autores, exteros imprimis, ut, quid de Lu-

*Transitur ad perpetuas lucernas.*

de Lu-